



1.  
1.  
2.  
3.  
4.  
5.





1792, 6. 7

PROCANCELLARIVS  
D. CHRISTIANVS GOTTFRIED  
HERMANN

SVPR. CVRIAE PROV. IVDICII MARCH. INFERIOR.  
LVSATIAE AC ORDINIS ICTORVM LIPS.  
ASSESSOR ET CIVITATIS SENATOR  
ATQVE AEDILIS

SOLLEMNIA INAVGVRALIA  
DOCTISSIMI ET PRAENOBILISSIMI  
CANDIDATI  
IOACHIMI MAVRITII GVILIELMI  
BAVMANNI  
LIPSIENSIS

DIE XXIIII. MENSIS MAII MDCCLXXXII.  
PVBLICE CELEBRANDA INDICIT.

---

IN EST DISQVISITIO:

*Quatenus vidua, ex statuto locali in Elektoratu Saxonico succedens  
marito, ad collationem bonorum sit obstricta.*



PROVINCIALE  
D. CHRISTIANVS GOTTFRID  
HERMANN

PROF. PUBL. PROF. IUDICII MARCII INFERIOR.  
LEGATVS AC ORDINIS AUSTRIACI LEGIS.  
ADVESSOR ET CIVITATIS SENATOR  
ALTONAE AEDILIS

SOLENNIA INAUGVRALIA

DOCTRINAE ET PRAELECTIONUM

CANDIDATI

IOACHIMI MAURITII GUILIELMI

BAVMANNI

LITURGICIS

MDCCCXXXII

PROFESSORIS PRAEDICANDI

IN EST DISQUISITIO

Quaeritur, quomodo sit in Ecclesia servanda  
auctoritas, ut non sit in Ecclesia servanda





Q. D. B. V.

**Q**uestionem sane non otiosam, sed in foris nostris, praesertim  
iis, vbi rusticus ius dicitur, saepius obuientem, dubiisque  
haud leuibus obnoxiam nobis elegisse videmur pertractandam, cum  
*de obligatione viduae, ex statuto locali in Electoratu Saxonico marito  
succedentis, bona sua ad eius hereditatem conferendi*, quaedam differere  
nobis proposuimus. Etenim in statutis non solum quarundam  
ciuitatum, sed et multorum pagorum, in primis quoque ex iis,  
qui in vicinitate Lipsiae siti sunt, ita praescriptum legitur, vt  
dimidia pars hereditatis viduae, altera dimidia liberis, vel aliis,  
sanguine cum defuncto iunctis, cedat; in compluribus etsi non  
semis, attamen triens, indistincte, siue liberi adsint, siue minus,  
interdum autem pars tertia, si cum liberis, semis contra, si cum  
aliis cognatis concurrat, viduae tribuitur. Quo vero magis  
portio talis superat illam, quam Constitutio Electoralis XX. Part. III.  
viduae assignat, quoque facilius existimari potest, successionem  
viduae in aliquam partem hereditatis coniugis generatim cum onere  
collationis apud nos esse coniungendam, praecipue autem diuisionem  
hereditatis in duas aequales partes oriri ex communiione bono-  
rum Iuris Germanici antiqui, quae in multis regionibus extra  
nostram Saxoniam adhuc obtinet: eo iniquius nonnulli censuerunt,  
dimidiam vel etiam tertiam partem hereditatis mariti viduam asse-  
qui sine vlla suorum bonorum collatione, quae tamen in Constit.



Electoralis, modo allegata, iniuncta est viduae, quartam saltem, aut tertiam partem, prout vel liberi adsunt, vel non, secundum hanc legem percipienti.

Operae igitur pretium erit, in hanc rem penitus inquirere; quod ut recte a nobis fiat, diuersos casus hic occurrentes sigillatim proponamus.

Ante omnia vero monemus, de illa specie, qua ad normam laudatae Constitutionis diuisio hereditatis locum habet, animum non esse, multa dicere; quod si facere velimus, actum agere vide-remur, cum innumeri fere Icti, atque inter hos viri maximi nomi-nis, hanc materiam abunde explicauerint *a)*. Neque haec ipsa per-tinet proprie ad nostrum propositum, quod in diiudicando iure ex statutis particularibus, siue localibus oriundo, subsistit.

Sufficiat hic indicasse, ex sanctione dictae legis Electoralis viduam, siue illa, liberis extantibus, quartam partem, siue, his deficientibus, tertiam, bonorum a marito relictorum capiat, in utroque casu omnia sua bona, ne quidem exceptis rebus vtensilibus mulierum, vel, uti consueuimus dicere, Geradicis, ad substantiam diuidendam necessario conferre; optionem autem eidem esse concessam, an malit, repudiata portione statutaria, illata sua repetere, et ita ab omni collationis onere sese liberare: totam vero hanc legis dispositionem non nisi subsidiariam quasi esse, cum illa ante omnia ad pacta nuptialia, et, si talia non adsint, ad statuta peculiaria, quae vbiunque locorum forte existant, nec non ad consuetu-  
dines

*a)* Vid. III. SCHOTT. *Institut. Iuris Sax. El. Priu.* Lib. II. Sect. IIII. Cap. II. §. 24. et squtt. vbi non solum ea, quae in hac re notatu digna,

doctissime definit, sed etiam primarios Interpretes Constitutionis illius Electoralis excitat.



dines rite introductas respiciendum, iisque insistendum esse, iubeat.

Iam, ut ad argumentum nostrae commentationis reuertamur, videamus, quid sit sentiendum, quando secundum statuta localia succeditur. Iis vel collatio bonorum viduae iniuncta, et ius, illata repetendi, ei reseruatum est, vel minus. De his omnibus seorsim nunc loquamur.

A) Si statuto locali viduae, quae velit particeps fieri portionis sibi constitutae, verbis expressis necessitas bona sua vel omnia vel pro parte conferendi, imposta, simul autem libertas, ab hereditate mariti, retentis bonis suis, atque receptis illatis, abstinendi, ipsi diserte relicta sit, uti v. c. Lipsiense Statutum, Art. XXVIII. habet b), res statim expedita est, quia sensus legis statutariae huius generis ita clarus, ut omnem dubitationem excludat.

B) Quodsi autem collatio bonorum viduae per verba statuti expresse iniuncta, neque optandi facultas, utrum velit portionem in lege statutaria assignatam accipere, an potius, repudiata illa, recuperare bona illata, itidem disertis verbis ei reseruata est, viduam oportet contentam esse portione statuto locali definita, et conferre sua bona, vel omnia, vel quaedam saltem, v. c. exclusis interdum rebus vtensilibus, idque pro diuersitate statutorum, aut consuetudinum, vsu diuturno atque constanti receptarum. Utque hoc iure vtamur, praeter interpretationem strictissimam statutorum, praesertim in caussa est rescriptum Electorale d. d. 15. Dec. 1606 c)

A 3

ad

b) Quod etiam in vtroque casu viduam a collatione Geradae immunem reddit. De hoc Statuto vid. plura in D. Gotsfr. Leonh. IOECHERI Diff. de

Successione coniugum Lipsiensium, hab. Lips. a. 1731.

c) Existat hoc Rescr. in COD. AVG. T. I. pag. 168. et 1054.



ad declarandam dictam Constitut. XX. P. III. ita praecipiens: *Da auch Diuifio hereditatis inter viduam et liberos vel heredes mariti gefuchet würde, folle hinführo auf das Statutum oder Gewohnheit, fo der Orts beftändig herbracht, praecise geurtheilet, und der Witthen dießfalls die Optio oder Wahl zu ihrem Einbringen nicht verftattet werden d.* Sicuti vero his verbis clariffime praefcriptum, omnino standum esse statuto, vel legitimae obseruantiae, ita etiam statim adiectum est, hanc sanctionem non extendi debere ad casum, si örto concursu super bonis mariti, vidua cum aliis creditoribus de prioritate certet. Cuius additamenti ratio tum ex Constit. Elect. XXVIII. Part. I. tum ex vltiori explicatione CARPZOVII e) patet, qui et nonnullas alias restrictiones huius Electoralis Rescripti recenset f), et hoc ipsum ab obiectione nimiae seueritatis liberare studet g), eo in primis innixus argumento, quod vidua, si quid damni fenderit ex hac lege, non tam de huius rigore, quam de sua propria culpa conqueri debeat, cum nimirum pactis dotalibus sibi prospicere, et vim iuris consuetudinarii a se auertere neglexerit.

C) Quid vero, si in statuto neque collationis, viduae incumbentis, neque electionis, vel illata repetendi, vel portionem statutariam capiendi, vlla mentio facta, sed hoc tantum definitum fit, quatenam pars hereditatis ad viduam, quatenam ad liberos, vel alios defuncti mariti cognatos pertineat?

Huius

d) Vid. III. SCHOTT. l. supra alleg. §. 25. Nota 7. sub litt. 7. et CARPZOV. ad Const. El. XX. P. III. Def. 13.

e) d. loco, Def. II. et 14. sub Num. V.

f) d. Def. 14. et in *Disput. de Iuribus feminar. singularibus* Decad. VIII. Pol. VII. Num. 20. sqtt.

g) d. loco Def. 13. i. Def. 8. et in *Disp. modo citata*, loco all. Num. 15. sqtt.



Huius quidem tenoris statuta permulta in nostra Saxonia extant, e quorum numero iamiam, quoad iura ciuitatum, *Vitebergense* et *Haynense*, ex paganis vero saltem illa, quae in maxima parte praediorum, Ampl. Senatus Lipsiensis ditioni subiectorum, nominatim in vicis: *Euteritzsch*, *Plöfütz*, *Reudnitz*, *Anger*, *Crotendorf*, *Mölkau*, *Sommerfeld*, *Panitzsch*, *Cleuden*, *Neutzsch*, *Prötitz*, *Lehelütz*, *Döfen*, *Probstheyda*, propter constantem usum valent, indicare lubet *h*). Statutum Vitebergense a Casp. ZIEGLERO singulari libro illustratum est *i*), Haynense vero in primis nobis innotuit ex actis iudicialibus, ad Collegium nostrum transmissis, quibus sub publica fide descripta inerat legis oppidanae pars ad decisionem nostrae quaestionis pertinens *k*). Vtrumque ab illis paganis in eo differt, vt viduae trientem saltem adtribuat; in reliquis,

*h*) *Eutericense* ita habet: *Wenn ein Mann oder Weib verstorbet, fällt die Hälfte der Güter auf den überlebenden Ehegatten, die andere Hälfte aber auf die Kinder, und nächsten Anverwandten, und gehen sonder Gerade oder Heirgeräths - Stücke auszuziehen, alles ins Erbe etc.* [vid. HOFMANNI *Statuta localia*, T. II. p. 182. Reliqua pagorum, quos enumerauimus, iura cum illo amicissime conspirant, quoad de portione coniugis superstitis loquuntur: Gerada et Heirgewetta non in omnibus exfulat.

*i*) *Commentar. de portione coniugis superstitis statutaria, ex vera statuti*

*Vitebergensis interpretatione.* Vid. et HOFMANN. *l. all.* T. II. p. 252. Ceterum statuta ipsius ciuitatis *Viteberg*, probe secernenda sunt a statutis, quae ibidem quoad *Academicos*, et *Praefecturae subiectos*, vigent; vid. HOFMANN. *d. T. II.* p. 269. et 270. sqtt. Adde in primis Ill. *Ern. Gottfr. Chr. Klügel. Progr. de viduo, in Ducatus Sax. parte, succ. in immobilia ab uxore rel. ex iure Flamingico. Viteberg. 1792.* pag. 16. sqtt.

*k*) Nonnulla ex statuto *Haynensi*, quae vero res vtililes et expeditorias magis concernunt, vid. in HOFMANN. *lib. alleg.* T. II. p. 131. sqtt.



quatenus concernunt successionem viduarum, proxime inter se collineant.

Hic praesertim, vbi statuta de collatione vel optioe viduae silent, plurima dubia occurrunt.

Primo enim non defuerunt, qui Rescriptum supra allegatum de a. 1606. etiam ad statuta illa, quibus, vti statim diximus, nihil plane de onere collationis, vel repetitione dotis praeceptum, sed certa solum portio assignata est coniugi superstiti, extendendum esse putarent *h*). Verum de statutis, hoc modo confectis, illam legem Electoralem non loqui, ac de illis tantum, quae verbis disertis collationem viduae iniungunt, agere, ZIEGLERVS *m*) et CARPZOVIVS *n*) praecipue demonstrarunt. Certissimum est, hocce Rescriptum non magis, quam illam ipsam, cuius declarationem praebet, Constitutionem XX. P. III. extensiuam interpretationem admittere.

Nihilo tamen secius vel ex hac quoque Constitutione argumentum desumptum esse videmus ab iis, qui collationem bonorum, statuto locali de eadem nihil praecipiente, viduae imponi poscunt *o*). In hac sanctione Electorali, aiunt, extra dubium iniungitur viduae, quae

1) Confer. ZIEGLER, *all. libro*, *singulari definita est, sec. Rescr. El. d. Quaesf. IV. §. 67.* CARPZOV. *ad Constit. El. XX. P. III. Def. 13.* vbi notat BERLICHIVM, hoc Rescriptum minus recte explicantem; et BERGER. *Oec. Iuris L. II. Tit. IV. Th. XLV.* Nota 3. vbi generaliter dicitur: „*cezeroqui toties cessat facultas reperendi illata bona, quoties certa portio statuto*

a. 1606.“

*m*) *l. all. §. 68. et 69.*

*n*) *d. l. Def. 14. No. IV. et de In-ribus fem. sing. Dec. VIII. Pof. VII. Num. 20. 21. et 22.*

*o*) *vid. ZIEGLER. d. l. Quaesf. V. §. 72.*



quae portionem ibi definitam accipit, omnium bonorum collatio; statutum autem cum sit intelligendum secundum Ius commune, ita, ut hoc, quantum fieri potest minus, ab illo corrigatur; apparet, id, quod verbis statuti deest, supplendum esse ex Constitutionibus Saxonice, tamquam Iure communi; quodsi adeo statutum collationem non prohibet expresse, propter regulam, in allegata Constitutione positam, conferendorum bonorum necessitas, uti putant illi, erit praesumenda. Non negamus, speciose haec dici: sed salua res est. Statim ab initio monuimus, quod ex tenore illius Constitutionis clarissime elucet, Sereniss. Legislatorem, per eandem nihil in statutis vel consuetudinibus locorum mutari, potius iis, pactis nuptialibus deficientibus, ante omnia insisti, voluisse. Verbis igitur statutorum tenacissime inhaerendum est, ac neque addere neque demere iis quidquam licet; quod quidem in genere de hisce iuribus particularibus valet: alioquin et maritus non posset, contra dispositionem communem Iuris Saxonici, portionem statuto definitam ex bonis immobilibus coniugis demortuae capere, quod tamen fieri nemo facile ambiget, si statuto locali, ex quo ille partem hereditatis adipiscitur, inter immobilia et mobilia nullum discrimen factum, et fundus, ab vxore relictus, haud extra locum, ubi viget statutum, situs est. Atque eo strictius accipienda haec species statutorum, de qua hic sermo, quia alia omnino est ratio Constitutionis El., quae simul viduae optionem relinquit, et statutorum, ubi neque de hac, neque de collationis onere aliquid expressum est. Satis ex his constabit, ea, quae in statutis locorum haud dicta sunt, ex verbis illius legis Elector. non esse supplenda, quae praeterea tum recentior nonnullis illis statutis, tum vero etiam exorbitans est, uti eam vocat CARPZOVIVS p), quia collationem,

p) *Ad d. Const. XX. Def. 7.*



tionem, alias incognitam inter personas extraneas, ad quas et refertur vidua, (e. gr. intuitu testamenti parentis inter liberos,) ipsi tamen imponit. Et profecto hic obuenit exemplum satis singulare, quo viuientis patrimonium substantiae hereditatis adnumeratur.

Ea, quae iam postremo loco diximus, obstant et iis, qui forte ex principiis Iuris Romani contra nostram sententiam pugnant. Alia ratio est portionis ex Nouella CXVII. viduae Romanae assignatae, et illius, quae Teutonicae ex statutis patrii debetur. Vt taceamus de eo, quod nemo negabit, difficillimum esse, sensum legum Germanicarum ex Iure Romano explicare.

Denique prouocant aduersarii ad veterem communionem bonorum inter coniuges, vnde originem traxisse arbitrantur illa statuta localia, quibus vidua portionem, praesertim dimidiam, ex substantia mariti capit; cum enim ex moribus maiorum praecipue sint explicanda iura consuetudinaria, nihil euidentiùs esse affirmant, quam hoc: ad illam substantiam, quae post mariti mortem inter viduam et liberos, vel alios heredes ab intestato venientes diuidenda sit, bona vxoris esse referenda, quia scilicet eidem cum marito fuerint communia.

At enim vero, quis nescit, communionis bonorum coniugalìs, quamquam medio aeuo, teste Speculo Sax. L. I. Art. 31. in Saxonia introductae, minime tamen constantem fuisse usum, atque hunc locum Operis Repcouiani per Glossam latinam ipsi adiectam de sola possessione coniugum, et de usufructu mariti acceptum, deinde autem ICTos illam interpretationem ita secutos esse, vt hodie in Electoratu Saxoniae bonorum inter coniuges communio,  
proprie



proprie sic dicta, h. e. quae vniuersas vtriusque opes afficiat, omnino nulla agnoscatur? g) Annon recte affirmamus, a vetustissimis inde temporibus, quorum memoriam c. TACITVS seruauit, forte vsque ad Seculum VIII. illius communionis bonorum vestigia frustra quaeri, postea autem per plura secula eandem non nisi apud Saxones Vestphalos, et vel hic tantum quoad communem adhaesum, locum habuisse? r) Ecquis tandem dubitat, multa statuta localia demum esse condita, multa iura consuetudinaria inualuisse, cum iam omnis coniugalis bonorum communitio, stricte sumpta, in nostris regionibus rursus ex vsu recesserat? Apparet sane, quam infirmum sit argumentum, quod pro necessitate collationis a vidua exigendae, statutis silentibus, ex moribus antiquis deducitur. Potius, si ex iis eruendus sit sensus statutorum, ad alia principia veterum Germanorum, praesertim de natura dotis, et reliquorum bonorum mulieris spectandum foret.

Dotem nimirum a marito constitutam vxori, et hanc a parentibus quasi emtam esse, ac si filiae nubentes a patre, vel aliis cognatis, aliquid consequerentur, quod Phaderphium, h. e. *Vater-Vieh*, appellari notum, hoc ipsum non magis quam ea, quae alio modo, v. c. per hereditates, ad quas, procedente aeuo, admissae sunt, obtinuerint, dotis rationem iniisse, et marito regulariter non solum propriis sumptibus onera matrimonii ferendi, sed etiam, vt post mortem vidua sese sustentare atque exhibere posset, eidem

B 2

partem

g) v. III. SCHOTT, *l. all. L. I. Cap. V. §. 21.* BERGER, *El. Discept. for. ad Tit. XII. et XIII. Obs. III. Nota I. p. m. 423.* ZIEGLER, *all. l. §. 75. Squu.*

r) v. HEINECCIUS *Elem. Iur. Germ. L. I. §. 272. 273. et 274.* GAERT-

NER, *ad Legem Saxon. Antiquiss. Tit. VIII. §. 4.* Nota a. Quibus iunge exquisitae eruditionis opus *Fried. Guil. PESTELII de Succ. coniugum ab intestato, Rintelii, 1745. Cap. I. §. 14.* et Squu. vsque ad §. 21.



partem bonorum suorum relinquendi obligationem incubuisse, dubio caret *r*). Cur non ex hisce moribus originem portionis statutariae viduarum Germanicarum, et earum ius, praeter partem ex hereditate mariti etiam illata sua, nisi lex aliter disponat, repetendi, deriuare liceat? Sane in locum antiquae illius a marito profectae dotis, et vitae prouisionis, statutariam viduarum portionem successisse, magnam veritatis speciem habet *t*).

Facile ex his, quae diximus, diiudicandum erit, sententiam eorum, qui viduam, succedentem ex statuto locali, in quo nulla mentio facta de bonorum collatione, ad hanc non teneri, adeoque illam, praeter sua illata bona, portionem in statuto loci determinatam ex sola hereditate mariti nancisci contendunt, fortissimis argumentis niti *u*).

Quibus etiam commotus Ordo noster, (restaurata opinione, antea per aliquod tempus derelicta *v*), in hunc modum pronunciauit, e. gr. mense Aug. a. 1784. ad Quaest. Senatus *Haynensis*. Idem et fecisse

*r*) Plura de his si quis legere cupiat, adeat praeter *PESTELII librum statim allegar.* §. 14. *SCHILTERVM, Praxi Iuris Rom. in foro Germ. Ex. XXXVI. §. 68.* sequu. *GAERTNER. Diff. Iuris Romani distinctionem inter Dorem etc. foris Germ. non esse accommodatam.* Lips. 1729. in primis §. 5. et *HEINECC. Elem. Iuris Germ. L. I. §. 241.* sequu.

*t*) *V. SCHILTER. l. all. §. 75. dist. Diff. GAERTNERI citar. §. 5. et PE- STEL, Cap. I. §. 28.*

*u*) Adde *III. SCHOTT. l. all. L. II. Sect. III. Cap. II. §. 25.* Nota *β.* et ad quos ibi prouocat, *CARPZOV. ad Conf. El. XX. P. III. Def. 7. et 8.* atque *b. HOMMEL. Rhaps. Obs. LXXXIV.* Vid. etiam *MENCKEN. ad Pand. L. XXXVII, Tit. VI. §. 4.* *III. KLÜGEL. Progr. supra laudato p. 16. et 17.* et *ZIEGLER. tractatu saepius citato §§. 26. 73. et 79.*

*v*) Vide, quae addidit *b. WINKLERVS ad BERGERI Oecon. Iur. Notas, L. II. Tit. III. Th. XLV. Nota 5. c. et Th. LI. Nota 2.*



facille vidimus Collegium Scabinorum Lips. m. Jun. a. 1764. in causa a Corpore Senatorio Lips. cui potestas iuris dicendi intuitu pagorum ab Ampl. Senatu demandata est, transmissa, qua super sensu statuti *Ploesciensis* quoad collationem viduae incumbentem vel minus, certatum erat x). Hocce Collegium illustre iam antiquitus ita respondisse, patet ex eiusdem sententia, m. Dec. a. 1704. ad explicandum Statutum Urbis *Vitebergensis* data, quam refert BERGERVS y). Alia praeiudicia aequalia Summae Curiae Prou. et Fac. Iur. Lips. MENKENIVS indicauit z).

Ceterum vero per se intelligitur, spectandum esse quoque ad *interpretationem vsualem*, vim Iuris consuetudinarii nactam aa), qua interdum collationis onus contra ipsam mentem statuti introductum esse potest, cuius adfert probatio nemini facile deneganda erit; quemadmodum etiam haec reseruatio adiecta est a nostro Collegio Sententiae, qua m. Febr. 1706. viduum ex supra commemorato Statuto *Eutericensi* in bona vxoris, quae, vti ex ipsis actis iudicialibus cognouimus, prorsus fere in immobilibus consistebant, succedentem, a collatione bonorum immunem declarauit bb), et a

B 3

Scabi-

x) Tenorem illius Statuti cum *Eutericensi*, quod Nota h. descripsimus, consentaneum esse, ibidem obseruauimus.

y) *Electis Disc. For.* ad Tit. XLV. Obf. VI. Nota 2. p. m. 1531.

z) *Loco, a nobis supra, nota u. citato.*

aa) Quatenam ad eius probationem requirantur, optime exposita inue-

nies in S. R. *Henr. Gottfr. BAVERI Diff. de vera Iuris consuetudinarii notionem etc.* Lips. 1761. in BERGERI *Oec. Iuris* L. I. Tit. I. Th. XIX. atque *El. Disc. For.* d. Obf. VI. Nota 1. p. m. 1516. squ. vid. et ZIEGLER, *all. tract.* §. 80.

bb) Quam sententiam vid. apud HOFMANNVM, *Statut. local.* T. II. pag. 183. sqti.



Scabinis Lipsi. illi, de qua paullo ante mentionem fecimus, in controversia *Ploesciensis* latae cc).

Hisce praemissis deueniendum iam est ad

CANDIDATVM  
 PRAESTANTISSIMVM ATQVE NOBILISSIMVM  
 IOACHIMVM MAVRITIVM GVILIELMVM  
 BAVMANNVM  
 LIPS.

IURIS VTRIVSQUE BACCALAVREVM,

qui vitam suam laudabiliter actam ipse nobis hoc modo descripsit:

*Natus sum Lipsiae, anno huius saeculi sexagesimo sexto, a. d. XXVIII. mensis Decembris, patre Ioachimo, Iurium Doctore, matre Christina Elisabetha, e gente Richteriana. Horum parentum cura nutritus, consiliis adiutus, amore et indulgentia subleuatus, cum nunquam*

cc) In utraque autem lite probationi locus haud datus est, sed res transactionibus finitae sunt. Hac occasione non inutile erit, adiacere, in illo ipso Iudicio Senatus Lipsi. de quo

supra locuti sumus, per longissimam annorum seriem in diuisionibus hereditatum huncce statuta interpretandi modum, quem hic exposuimus, vsu perpetuo inualuisse.



quam non habuerim, ut mihi ipsi eo nomine gratularer, meamque sortem felicissimam putarem: pietatis sensu commotus summum Numen hic supplex veneror, ut eos mihi quam diutissime adhuc saluos atque incolumes seruet, et ut longissima, ita et tranquillissima et iucundissima vita perfrui iubeat. Teneros aetatis annos maximam partem Steinbachii in praedio patris exegi, atque Goebelii, munere sacerdotali ibi religiose fungentis, disciplinae traditus, et quoties interim in hanc urbem, ubi quotannis per menses hiemales cum parentibus commorabar, commigraueram, Lunzium, nunc scholae Nicolaitanae collegam tertium, praeceptorem nactus, primis litterarum ac disciplinarum, quibus illa aetas erudiri solet, elementis ita imbutus sum, ut institutione vtriusque Viri illa, non minus utili, quam iucunda, plures per annos frui mihi licuisse, etiamnum laeter. Aduletior factus Muellerei, vtriusque Iuris iam Doctoris, curae ac disciplinae creditus, eoque vitae duce ac comite per quinquennium usus sum. Cui, quantum debeam, ipse sentio, cum me per omne illud tempus non modo liberalissime tractarit, omnique humanitate ac beniuolentia profecutus sit: sed etiam bonis litteris et artibus, iis praecipue, quae nomen ab humanitate ducunt, summa cum fide et diligentia erudiuerit. Ita praeparatus anno 1786. a b. Reitzio, Vniuersitatis litterarum tum Rectore Magnifico, numero ciuium Academicorum adscriptus sum. Iam philosophiae in primis, ut par est, operam dare coepi, ideoque scholis Platneri interfui, qui me non solum logicen atque metaphysicen docuit, verum etiam philosophiae, quam moralem dicunt,

iuris



*iuris naturae atque aesthetices praeceptis instruxit. Nec omnino negli-*  
*gendae mihi videbantur mathematicae disciplinae, in quibus Gehlerum*  
*atque Ridelum secutus sum. In historia addiscenda Wielandum elegi*  
*atque Beckium. Historiam autem naturalem a Ludwigio, mihi et adfi-*  
*nitatis et amoris necessitudine coniunctissimo, et Chemiam ab Eschenba-*  
*chio, traditam accepi. Quoniam autem iuris studio me consecrare constitue-*  
*ram: Iurisconsultorum scholas adii, atque Sammetum, Schottum, Rauium,*  
*Einertum, Bienerum, Kindium, ac, qui mihi ius publicum Saxoniae*  
*tradidit, Arndtium audiui. Neque hic mihi praetereundus est Richt-*  
*erus, praematura morte nobis ereptus, qui meum ingenium latine scri-*  
*bendo ac differendo per aliquot semestria exercuit, ac iuris civilis scien-*  
*tia instruxit, omninoque consilio iuuit, ut quae ipsi debeam, numquam*  
*satis praedicare possim. Ita studiorum cursu absoluto ad disputandum*  
*proposui exercitationem iuris civilis, de seruitute a proprietatis do-*  
*mino fundo fructuario imponenda, eamque, praeside b. Richtero,*  
*publice defendi. Paulo post ab Illustri Iurisconsultorum Ordine exami-*  
*natus, haud indignus iudicabar, cui cum optimo elogio Iuris Vtriusque*  
*Candidatura deferretur. Iam me Goettingam contuli, ibique per anni*  
*spatium scholas Boehmeri, Puetteri, Heynii, Martensii, Spittleri,*  
*Schloezeri, Lichtenbergii, Gmelinii atque Blumenbachii frequentavi.*  
*Quorum omnium Doctorum, tum Lipsensium, tum Goettingensium, in*  
*me merita, omni mea laude maiora, numquam ex animo meo effluere*  
*patiar, semperque pia grataque mente recolam. Illinc in patriam reuer-*  
sus



*sus, examen, quod rigerosum dici solet, sabii, et Notarius publicus Caesareus ab Amplissimo Senatu Lipsiensi aliquo tempore post creatus, atque a supremo Regimine Dresdensi confirmatus, iam summos in iure honores petere haud dubitavi. Quibus precibus meis si ab Illustri Iuriconsultorum Ordine locus fuerit relictus: beniuolentiae illius, iam multis documentis mihi perspectae, per omnem vitam me non immemorem futurum esse, neque umquam, ut illo honore, in me collato, indignus videar, commissurum, sancte polliceor.*

Lubentissime eius desiderio adnuimus; etenim, quam antea in examine pro obtinendo primo gradu, siue Bacculaureatu, prae aliis demonstrauerat veram solidamque Iuriscientiam, illam et in tentamine, quod rigerosum vocamus, ita comprobauit, ut eidem summi in Iure honores vnanimi suffragio a Collegio nostro fuerint decreti. Ut vero et publice de eius eruditione atque ingenio constet, proximo die Mercurii hora II. pomeridiana in Auditorio Ictorum *legem 20. Cod. de Poenis* praelectione cursoria interpretabitur: die Iouis sequenti autem, qui est XXIII. huius Mensis Maii, horis matutinis, inauguralem Commentationem, ita inscriptam: *Diuus Gordianus, siue de Vita et Constitutionibus M. Antonii Gordiani III. Imperatoris, Exercitatio prima*, in eodem Auditorio sine praefide defendet.

Quo facto Vir summe Reuerendus et Illustris, D. IOSTAS LVDOVICVS ERNESTVS PÜTTMANN, Cathedral. Eccl. Martisburgensis Canonicus Capitularis, Codicis Prof. Publ. Ord. Collegii Ictorum Senior, et Academiae Decemuir, fautor atque collega

C

hono.



XVIII

honoratissimus, cui Promotoris partes delegauimus, Iuris vtriusque Doctorem BAVMANNVM nostrum creabit, eique omnia cum hac dignitate coniuncta priuilegia et iura, excepta sola spe, in collegio nostro locum occupandi, more solito tribuet.

Hanc igitur Sollemnitatem vt RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, CELSISSIMVS PRINCEPS, COMITES ILLVSTRISSIMI, PROCERES VTRIVSQVE REIP. GRAVISSIMI, ET GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQUE COMMILITONES frequenti praesentia condecorare velint, omni, qua par est, obseruantia et humanitate rogamus.

P. P. Dom. Exaudi A. R. S. MDCCLXXXII.

---

LIPSIÆ

EX OFFICINA SAALBACHIA.





Leipzig, Diss. 1 1732

ULB Halle

3


005 358 981











1792, 6.

CANCELLARIVS  
TIANVS GOTTFRIED  
HERMANN

PROV. IVDICII MARCH. INFERIOR.  
AC ORDINIS ICTORVM LIPS.  
OR ET CIVITATIS SENATOR  
ATQVE AEDILIS

INIA INAVGVRALIA  
SSIMI ET PRAENOBILISSIMI  
ANDIDATI  
MAVRITII GVILIELMI  
AVMANNI

LIPSIENSIS  
MENSIS MAII MDCCLXXXII.  
E CELEBRANDA INDICIT.

EST DISQVISITIO:  
*statuto locali in Electoratu Saxonico succedens  
d collationem bonorum fit obstricta.*

7

